



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 14. Sanctio Cardinalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1352.

§. XIV.

*Sanctio Cardinalium.*

Conclave ingressi Cardinales Papæ potestatem definiens decretum condidit, *Rayn. 1352. n. 26.* cujus hæc est summa. Non faciet Cardinales, antequam eorum numerus ad sexdecim redigatur: his solum quatuor, ut ad summum viginti sint, adjunget, si Cardinales cuncti, aut minimum duæ tertiæ horum consentiant. Non exauthorabit, vel carceri addicet aliquem, nisi de communi omnium sententia; nec ulli censuram irrogabit, præterquam de consilio duarum tertiarum. In illorum bona seu viventium seu mortuorum non injiciet manum. Ecclesiæ Romanæ terras non alienabit, nec jure fiduciario conferet; nisi duæ tertiæ Cardinalium id agendum censeant. Horum collegium a Nicolao IV accepit jus percipiendi dimidiam partem cunctorum fructuum ac proventuum ex mulctis, damnationibus, & cæteris Ecclesiæ Romanæ emolumentis in qualibet provincia, in quocunque loco. Nullus Papæ cognatus vel affinis fiet Romanæ Præfectus Aulæ, aut Rector terrarum Ecclesiæ. Decimas aliave subsidia Papa nulli Principi concedet, nec ærario suo reservabit, nisi duabus tertiis Cardinalium  
ita

ita placeat; quibus libertatem sentiendi Sæcul. XIV.  
 permittet in consultationibus. Quivis A. C. 1352.  
 hodiernorum Cardinalium jurabit, se, si  
 Papa fiat, sancte observaturum memora-  
 ta omnia: & qui electus fuerit, sive mo-  
 do sit Cardinalis, sive alius, idem promi-  
 sum faciet eodem die. Cardinales ad  
 gerendum huic præscripto morem jure-  
 jurando se alligarunt, pure ac simpliciter  
 alii, alii restricte, si esset Juri consenta-  
 neum.

§. XV.

*Innocentius VI Papa.*

**I**nclusi conclavi cum hæerent, audie- M. Vill. l. 3.  
 bant Regem Franciæ Joannem prope- c. 44.  
 rare Avenionem, ut haberet Papam ac- Froiss. vol. X.  
 ceptum sibi: nec poterat spes eum sua c. 153.  
 fallere: tot Cardinales in suo natos regno Vitæ to. I.  
 & sibi addictos noverat. Itaque ho- p. 321.  
 norem ac libertatem Ecclesiæ conserva-  
 turi adhibebant celeritatem, ut Papam  
 ex voluntate sua facerent: ac die Martis  
 18 Decembris anno 1352 cooptarunt  
 Stephanum Audebertum Cardinalem  
 Episcopum Ostiensem: qui dici voluit  
 Innocentius VI. Die dominica 23 De-  
 cembris coronatus, ultimæ ejusdem men-  
 sis indicem suæ dignitatis epistolam de-  
 dit omnes ad Episcopos circummitten-  
 dam.